SIXTUS Episcopus servus servorum dei Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis Salutem et apostolicam benedictionem. Divina
disponente clementia ad summum apostolatus apicem meritis licet imparibus sublimati universos utriusque sexus Christifideles quorum merita pro demeritis penitus
sunt imparia ad pia et meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut ipsi exinde macula suorum
abolita delictorum ad eterne beatitudinis gaudia feliciter pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia sancti Michaelis oppidi Civitatis nun-
cupati de Murcia Carthaginensis diocesis una pia et devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas sanctissimi Corporis Christi non tamen pro hominibus unius specialis
artis canonice instituta existat cuius dilecti filii Confratres ad Dei laudem et animarum salutem ac proximorum sublevamen in bonis et piis operibus se student
exercere. Nos cupientes ut dicti Confratres in huiusmodi et aliorum piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea necnon alii Christifideles ad Confrater-
nitatem predictam ingrediendum incitentur ipsaque Confraternitas salutaribus in domino magis proficiat incrementis et ecclesia predicta in debita veneratione ha-
beatur ac ab ipsis Christifidelibus continue frequentetur honoribus illique eo libentius devotionis causa ad illam confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius
conspexerint se esse refectos. De Omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi Omnibus et singulis utriusque
sexus Christifidelibus vere penitentibus et confessis qui eandem Confraternitatem deinceps pro tempore ingredientur et in ea recipientur in die
primo eorum ingressus et receptionis huiusmodi si sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint Ac tam ipsis quam omnibus aliis nunc et pro tempore existen-
tibus eiusdem Confraternitatis utriusque sexus Confratribus pro tempore decedentibus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo primum nomen
Jesu corde si ore nequiverint invocantibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et
elargimur. Necnon tam ipsis Confratribus quam aliis dictis sexus Christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui in festivitate sanctissimi
Corporis Christi a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem festi inclusive ecclesiam predictam seu altare eiusdem Confraternitatis situm in eadem ecclesia pro
tempore visitaverint et ibi ad Deum preces pro sancte Romane ecclesie ac fidei Catholice felici statu et exaltatione illiusque inimicorum depressione ac inter
Principes Christianos servanda pace concordia et unione heresumque extirpatione hereticorum reductione et Infidelium conversione effuderint quacumque die
predicta id pro tempore fecerint si eadem die Sacramentum predictum sumpserint Septem annos et totidem Quadragenas. Insuper eisdem Confratribus
qui pariter vere penitentes et confessi Sacramentum predictum in sancti Michaelis de Maii et Septembris ac beate Marie Magdalenes necnon sancti
Jacobi festivitatibus seu in aliqua vel aliquibus illarum sumpserint qualibet vice alios Septem annos et totidem Quadragenas. Illis autem qui missis et aliis
divinis officiis in ecclesia predicta ex consuetudine vel instituto seu intuitu dicte Confraternitatis pro tempore unius faciendis interfuerint aut etiam pau-
peres puellas dotaverint vel matrimonio collocaverint vel pauperes hospitio exceperint aut pacem cum inimicis propriis aut alienis composuerint seu componi
fecerint vel procuraverint necnon etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum quam aliorum ad sepulturam associaverint vel quascumque processiones per ipsam
Confraternitatem quandocumque de licentia Ordinarii pro tempore celebrandas dictumque Sacramentum quando tam in processionibus quam ad infirmos ac alias ubicumque
et quandocumque deferetur comitati fuerint ac etiam Quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus defunctorum dicte Confra-
ternitatis in dicta ecclesia recitaverint quoties premissa vel aliquod premissorum aut ipsius Confraternitatis intuitu quodvis aliud pium opus fecerint vel exercuerint
aut in eiusdem pii operis administratione bene se gesserint pro qualibet vice sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in domino
relaxamus. Presentibus quoad Christifideles non Confratres dictam ecclesiam seu altare ut prefertur visitantes ad Decennium tantum in reliquis vero perpetuis futuris
temporibus duraturis. Volumus autem quod si Confratribus et aliis Christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus
nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eedem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctumpetrum Anno Incarnationis dominice
Millesimo quingentesimo octuagesimo quinto Quinto decimo Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Primo.

Ap

Gratis pro Deo

P. Aranus P.B.rio

T. Mandosius

Alex: Miletus

Tho. Thom. Gualterutius

Pan: Pamazza

R. Gaztelu

Arcobe